Cracoviensis Studiorum Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosoph.
1760 20 Septembris

Banaczkowski Simonis Bonaventurae: Honor philosophicus a generis claritate maior a virtutum et eruditionis praestantia maximus in XVIII. VV. DD. secundae Laureae Candidatis excellens.

H O N O R
PHILOSOPHICUS
à Generis Claritate
M A J O R
à virtutum & eruditionis præſtantia
M A X I M U S;
in
XVIII. VV. DD. Secundæ Laureæ Candidátis
E X C E L L E N S.
Et cùm ſub Faventiſſima Protectione

Celſiſsimi Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini

D. CAJETANI IGNATII
S O Ł T Y K
EPISCOPI Cracovienſis, DUCIS Severiæ, Aquilæ Albæ EQUITIS, Univerſitatis Crac: CANCELLARII FAVENTISSIMI,

à

Magnifico Perilluſtri & Reverendiſsimo Domino

D. M. STANISLAO
MAMCZYNSKI
U. J. DOCTORE & PROFESSORE, Ejusdemq; Facultatis DECANO, Eccleſiarum; Cathedralis Crac: CANONICO, Collegiatæ S. Michàëlis in Arce Crac: DECANO, Parochialium; Premykovienſis PRÆPOSITO in Smarzowice CURATO, Collegii Juridici SENIORE PATRE, Contubernii Jurisperitorum PROVISORE, Librorum per Diœceſim Crac: CENSORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORE, Illuſtriſſimi Conſiſtorii Generalis Crac. SURROGATO JUDICE, Studii Generalis Cracovienſis PROCANCELLARIO & RECTORE.

In numeroſo Magnorum Hoſpitum conſpectu
Magiſterii in AA, LL. & in Philoſophia Doctoratûs Licentiam
Ritu ſolenni conſequerentur
In vim Fraterni affectus & plauſus

per

SIMONEM BONAVENTURAM BANACZKOWSKI
Ejusdem Laureæ Candidatum
Pöëticô Calamô
D E C L A R A T U S.
Annô quô

Mentes eDoCtas ſeCtata es LeX ſata ſorte.
270 253 300 95 325 192. 325.

C R A C O V I Æ T Y P I S U N I V E R S I T A T I S.

325

In Gentilitium Insigne
Pervetustæ *De Młodzieiowice*
MŁODZIEIOWSCIORUM Domûs



1mò

Desine Jasoniam Puppim jactare vetustas
Quæ rapto Colchis vellere dives erat
Hæc propriîs meritîs onerata, monilia quævis
Cùm superet, longè ditior inde patet.

2dò.

Altera sub Cœlum fertur tenet altera Cœlum
Cælestes portus utraq; puppis habet.

3tiò.

Firma basis fidei Domus hæc à tempore prisco
Ut vel in exposito Stemmate ritè patet
Relligionis Honor fulcitur stante columna
Quam vehit Arca Nòé nobile Stemma Domûs

4tò.

Puppibus his lati nautæ imposuere coronas
Omen adest quòd sic altiùs ibit Honor.

PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. ANDREÆ
MŁODZIEIOWSKI,

JU. DOCTORI, Ecclesiarum Archi Cathedralis Metropolitanæ Gnesnensis & Cathedralis Cracoviensis, ac Insignis Collegiatæ Varsaviensis CANONICO, Abbatiæ Hebdoviensis COADJUTORI, ARCHIDIACONO Pszczoviensi, Causarũ Curiæ Celsissimi PRINCIPIS, Illustrissimi & Reverendissimi Domini VLADISLAI ALEXANDRI POMIAN *à Lubna* ŁUBIENSKI, ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AUDITORI, Domino MECÆNATI ac PROTECTORI Amplissimo.

D*ivi Iagellonis Ejusq́. Augusta semper de Stirpe procedentium Sarmatarum in Solio Regum unica & nunquam non dilecta* FILIA, *jam verò quinto sæculorum tractu non effæta Scientiarum MATER hac Craci in Urbe* UNIVERSITAS, *in Dotem emeritæ suæ Virtutis quas nuper acceperat Prærogativas, ex illis dum Nobis hodie in fundamento* Legum & Privilegiorum *ad obtinendum Liberalibus in Artibus Philosophicum Honorem (utpote debitam eruditi laboris mercedem non rapinam.) solemniter confert Licentiam, ejusmodi quovis titulo Philosophici Honoris excellentiam, ut* TIBI *deferamus publicè, & Magni* TUI *Nominis Honorisq́ exigit Authoritas, & mea in particulari urget obligatio.* MECÆNAS & PROTECTOR *Amplissime. Honor etenim hic sive à Generis claritate, sive à virtutum & eruditionis præstantia major atq́ maximus dicatur, cæterum tamen penes* TUI

quà præcelsi Sangvinis, quà Meritorum, quà deniq; ampliora indies in Ecclesia Dei sumentis incrementa Honoris Amplitudinem & suæ integritati & Authoritati non dubitat plurimum æstimationis decorisq; accessum iri. Præcipuè dum circumstant TE, quinimo plusquam ad gloriam exornant præclara Antiquitatis atq; Annalium celebrata monumentis Avorum Atavorumq; Ornamenta, ex quibus sera legere poterit posteritas, quomodò Fastîs & quibûsvis Fascibûs digni, omni titulô majores, Antecessores TUI in Toga & Sago celeberrimi Ecclesiam & Patriam exornârunt meritis, Aris & Focis utilitati atq; decori fuere. Atq; simul non desunt TIBI præter transfusa ac jure hæreditario debita à Majoribus Ornamenta ex vi & necessitudine Magni Nominis atq; præcelsi Sangvinis virtutis & naturæ maximæ Prærogatiuæ, quas in TE venerantur singuli, Principes vulgoq; exempti æstimant Viri, quivis Magistratus plus quàm ad gloriam celebrant atq; deprædicant, Etsi omni eruditorum ævo Literis dediti, suum quemcunq; ex seria eruditione acquisiverunt Honorem, tanquam non solùm sibi impensum illis deferendo Viris, Qui Generis celebritate, Dignitatis ac Sapientiæ authoritate quovis in Stallo plurimum possent, satis sibi prærogativæ & patrocinii esse voluerunt; Tibi MECÆNAS Amplissime Honoris Philosophici dum deferimus excellentiam, dum Secundas in Liberalibus Artibus Laureas, Gentilitiæ in coronam dicamus NAVI, Literario Honori Sortiq; Nostrûm, & provide factum, & optimè provisum cognoscimus. Sufficit nobis scire Te Paternum de KORABITIS ducere Genus quorum quàm pervetusta & quibus Honorum Titulis celebrata atq; exornata Familia, qui ignoraverit, non solùm in Orbis universi historia, verùm & in hac Europæ simulq; Septemtrionis Parte peregrinus fuerit necesse. Ecclesiasticas referamne Prærogativas; nonne à tot Sæculis MŁODZIEIOWSCIORUM Navis Archi Præsuleîs in LASCONE coronata Palliis, in ROBERTO Vratislaviensibûs demum Cracoviensibûs condecorata Infulis ortho-

doxæ

doxæ Fidei Assertores dederat strenuissimos, verbo opere & exemplo Pontifices tulerat maximos. Castrenses Fori, Togæ Sagiq; adducamne Titulos? non potêrunt in dubium vocari etiam exteris nota Gentibus, quomodo CORABITÆ in Campis Oczkoviensibus illam Gentium colluviem, Scytharum multitudinem vicerint, & ultra suam Mæothidem abegerint. Sæculorum appellaverim fidem si non omni ætate, ad hæc usq; quæ ad nos devenerunt tempora ex hac pervetusta Familia, habuerit Ecclesia orthodoxæ Fidei Zelatores, Patria Boni communis Statores, Senatus Consos, Equestris Ordo tam belli quàm pacis Artibus celleberrimos Cives, castra Gradivos Areopagi Aristides; qui domi forisq; maximis & amplissimis perfuncti muneribus, inter quosvis maximos Proceres recensentur. Et ideo vivunt post fata superstites omniumq; ad gratitudinem provocant conscientiam divi Antecessorum Tuorum Manes, viget & splendescit nullis obruendis temporibus Illustris ac Magnificus JOANNES MŁODZIEIOWSKI, Tuus PARENS Dignissimus eximium KORABITARUM Decus, Orbis Poloni Gloria, Vir omnium æstimatione, quibûsvis Major Titulis, Qui ad quævis maxima natus, maluit publicis laboribus arduisq; pro communi Ecclesiæ & Patriæ Curis, quàm Honoribûs eminere. Toties Ille in tot Regni Functionibus innatæ dexterritatis perspectæ prudentiæ maturi judicii luculentissima dederat specimina, de fide, de libertate, de legibus deq; Civibus optimè semper meritus. Versatur in omnium oculis meamq; mentis perstringit aciem, inextinctus JAXARUM Splendor Illust: ac Magnifica MARIANNA KROBANOWSKA Tua Genitrix Æstimatissima & nativis KORABITARUM Luminibus ex præcelsi sui Nominis, ex dotum atq; virtutum suarum præclaris fulgoribus non modicum honorariæ affundit lucis. Dicerem Cynosuram! sub cujus benigno sidere ex pervetusto KORAB tot prodiere feliciter Cæsares, quot factis gestisq; celeberrimi hujus Polonæ Augustæ ex utroq; Julii, MŁODZIEIOWSCII sunt Orbi dati Polono in decus

 præsti-

præsidiumq́. Non reduco hic ad Calculum Oratorium quaternarium Fratrum Tuorum Numerum MECÆNAS Gratiosissime, qui virtutibûs & meritis numerando annos explevere sæcula multa, jamq́ beatæ ad capessendam rectefactorum suorum mercedem æternitatis evocati ad Coronam seræ posteritati in æviternum pignus immortalem sui memoriam reliquerunt. Dicent digna fide publica Acta, dicent Legum Pandectæ, atq́ ipsum in Majori Polonia dicet Calissiense Castrum, quomodo Illustrem ac Magnif. FABIANUM MŁODZIEIOWSKI Tuum Germanum FRATREM, JUDICEM Surrogatum, nunquam satis venerari potuit; æqui honestiq́ amantissimum, Juris Canonici & Civilis peritissimum, innocentiæ Tutorem, extirpatorem scelerum, in omni sua actione integerrimum; Cujus sancita vim legis habebant, cujus Decreta juxta Legum Patriarum sonantiam lata, ad mentem ipsius Cælestis Astreæ fuere, cujus responsa locò oraculorum censebantur, & usq́ hodie censentur, approbantur. Hoc ipsum referent & de aliis MŁODZIEIOWSCIIS Supremi Polono Tribunalitii Areopagi, quorum solidæ rationes in fundamento legis communis, quæ unicuiq́ quod suum est reddere jubet cum satisfactione litigantium, cum approbatione Judicum & Jurisperitorum in Sententiam sæpe sæpius abibant. Dant testimonium & ipsæ compositæ in Crucem Francisci manus, quod, quale, quantumve secundo omine de TUI Secundo FRATRE fuit illis delicium? qui Sacram Religionem ejusq́; claustra les umbras & deductis ab Avis Atavisq́; exornavit Decoribûs, & proprius sapientiæ, pietatis, ac aliarum virtutum splendoribus illustravit. Accedit ad hanc pretiosissimam Coronam, vel ipso candore notabilis, suisq́ inæstimabilis Dotibûs Nobilissima de Alto MŁODZIEIOWSCIORUM Sangvine Gemma, Illustris ac Magnifica ANNA WOLSKA, Posnaniensis DAPIFERA, quæ cùm fuerit maximum ipsa sibi pretium, ab arte & ingenio tanquam adscititium non petit valorem, propriis Decoribûs & talentis commendabilis. Venerari tandem satis nequeo

queo Illustrissimum & Reverendissimum D. ANTONIUM KROBANOWSKI DECANUM & OFFICIALEM *Generalem Gnesnensem* AVUNCULUM *Tui Maternum, Prælatorum normam, Status Ecclesiastici lumen columenq;, Metropolitanæ hoc in Regno Archi-Cathedræ principale Decus atq; ornamentum. Sit ille Hortensius, an veriùs Hercules, non in sua adhuc pubertate eloquentia, & sic poterit rosas & lilia loqui; verùm utrumne in condignam laudis componerentur Coronam, ubi inscripti Regum nomine Flores explicant centifolia, ubi Gentilitius* GRIPHA *à sibi ipsi reservatis quàm florentissimis elogiis, ex quibus ingeniosæ possent mellificare apes arcet aditum. Meridianæ luci Solisq; radiis addere claritatem viderer, si Ejus promeritis non tantùm hac Septemtrionis in parte, in candelabro Ecclesiæ non sub modio positis, in Ara Divæ Themidis toties pro Luminari constitutis, sed etiam alienis sub Oris suæ Activitatis, Religionis, cæterarumq; virtutum radios spargentibus, veluti ad plenitudinem majoris splendoris aliquam, scintillam addere vellem, cùm nec unicâ guttâ augeantur maria, nec unicâ athomo tumescant montes Sufficeret ad Nominis Tui claritatem & magnitudinem vel ipse diffusus per tot Nobilissimarum Orbe Polono Familiarum venas purpureus* KROBANOSCIORUM *Sangvis, atq; in* BRANICCIIS, BYKOWSCIIS, OSTROWSCIIS, WALEWSCIIS, OTFINOWSCIIS, KWIATKOWSCIIS, KRESCIIS, JAGNIATKOWICIIS, DZIERZBICCIIS, TRZCINSCIIS, DAMBROWSCIIS, BORYSŁAWSCIIS, ZAŁECCIIS, KREDKOWSCIIS, MIELECCIIS, OSSOWSCIIS TURSCIIS, *ad Pontificum Infulas & Senatorias sublimatus Curules; ni* TE *Amplissime* MECÆNAS, *etiam summa illa, uno, eoq; vicino tantùm gradu á suprema & in Hierarchia Ecclesiastica & in terris distans Authoritate, Dignitas, in Eminen-*

tissimo CARDINALI, *ac Celsissimo* PRINCIPE *Illustrissimo & Reverendissimo* JOANNE ALEXANDRO *in Lipe* LIPSKI *Cracoviensi* EPISCOPO, *ipsa versùs Sidera attolleret, ac Eminentissimis parem eô ipsô efficeret, cùm ex vi, atq; Cognationis necessitudine, legitimam ad eosdem relationem dicit. Sunt hæreditarium Tui Decus* PROTECTOR *Gratiosissime, hæ & aliæ longa à me deducendæ serie* ANTECESSORUM *Tuorum Prærogativæ, quas non nisi Magni Nominis Honorisq; Adorator Historicis narrandas relinquo: verùm cum* PRÆDECESSORUM *Tuorum Honores, Famam, Gloriam, adjectis Virtutum, Meritorum, majori, atq; majori auges Splendore, saltim in parte; cùm non solùm hanc exiguam paginam, sed etiam ampla excedas volumina est mihi de* TE, *præmisso cultu atq; veneratione, quæ oberratum multis titulis excusabit Authorem, aliquid dicendum. Si per omnes (quod nunc vel Zoillorum causâ, vel malevolorum gratiâ dictum esse dicitur,) ætatis Tuæ procedam gradus, semper* TE *in superlativo fuisse, satis mirari non potero. Eras Hic, Quem de* CORABITIS, *aliàs Pervetusta atq; Orbe Toto celeberrima Gente natum virtus in sui sinum excepit, doctrina excoluit, magnanimitas æquè ac prudentia, omni scientiarum genere excultum supra æquales extulit. Et hinc maturiores semper virtutis, quàm annorum fuere cursus, deditus literis, ex iis brevi temporis intervallo ea didicisti, ad quæ Te arcano quodam impulsu ad quævis maxima nata indoles disponebat. Nil dicam de Oratoria Facultate! cùm etiam Tui familiares discursus Te extra Gallias produnt Herculem, non verba sed lilia loquentem. In Philosophicis ea omnia intellexisti solidè, atq; recenti semper mandasti memoriæ, quæ ad cognitionem rerum Divinarum humanarumq; spectare videntur. Demonstrat in* TE *propè Divinum ingenium per quævis altissimas causas notitia, illaq; sola & vera Sapientia Sacra Theologia, dum quidquid in Speculativis arduum, in Moralibus non obvium, ad mentem Ecclesiæ Catholicæ illiusq; Primi*

&

& Supremi Capitis resolvis solidè, elucidas clarè, ingentium rerum Arbiter factus, & Judex. Maximè tamen explicat in TE pompam atq; sui majestatem Utroq; in Jure peritia quam per omnes vitæ Tuæ integerrimæ ita disponis rationes, ut æqui honestiq; non excedat regulas. Hæc & alia tradita à natura, arte, & ingenio Talenta, quibûs lucratus es quàm plurima, perpendit in TE; quinimo in altissimi judicii ponderando lance, quà privatim, quà publicè æstimavit prudentissimus Ille, & nunquam debitè post sui fata celebrandus mentium & Personarum Ponderator, Celsissimus PRINCEPS, Illustrissimus & Reverendissimus, STANISLAUS KOSTKA, in Załuskie ZAŁUSKI Cracoviensis EPISCOPUS, DUX Severiæ, & ut Dotum ac virtutum Tuarum Splendor, TE domi ac in Patria redderet Illustrissimum, in facie Orbis & Urbis, voluit illum omnibus & singulis præ oculis ponere. Tuæ activitatis, eruditionis, ac sapientiæ publicum nactus es theatrum, illam sanctissimæ Religionis, ac omnium verè & catholicè sentientium Sedem Romam, in qua circiter Annîs duodecim commorando, ingentium ad Gentis Sarmaticæ æstimationem Decorum, eximia & adusq; patetica reliquisti documenta. Quanta Tua foret in rebus feliciter gerendis dexteritas? quàm nota & perspecta prudentia Ecclesiæ Divi STANISLAI, Episcopi & Martyris Regni Poloniarum TUTELARIS, in URBE sollicitus de Bono communi utriusq; in Sarmatia liberæ Gentis RECTOR, demonstrâsti abundè; cùm Casam Nationalem, seu Convictum Polonorum, plurimîs oneratum debitîs majori exonerando in parte, cum immortali & Nominis proprii, & Patriæ gloria ad pristinum reduxisti statum. Te provido RECTORE nullus nulla inopiæ sensit incommoda, per Quem restituti census, res familiaris adaucta. Qui confluentibus ad Sacram Sedem è Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, cujuscunq; statûs & conditionis Incolis atq; Civibus sive authoritate, sive consilio, sive proprio ære procurâsti necessaria, juxta uniuscujusq; pro temporis,

rei & causæ exigentia. TE *Antesignano coram Supremo in terris Capite plurimi sua exposuerunt desideria,* TE *Protectore, innumeri casu fatoné? ad calamitatem redacti in illo Horizonte sereniorem post nubila viderunt Solem. Hæc Divi Nostrum* INDIGETIS *Fabrica, Tuæ præcipuè debet sollicitudini & activitati, quod supra suæ rudera fortis steterit magnificentior, quòd intus & abextra, ut hodie in omnium versatur oculis, mirum in modum exornata, pretiosâ supellectili aucta etiam missis è Polonia splendidissimis à natura & arte ornamentis, illius Gentis ad prodigium condecorata fuerit. Cùmq; Amplissimæ Crac:* Diœceseos, *ac aliorum in utraq; Polonia Illustrissimorum Capitulorum, maxima quævis negotia tractanda haberes, admirandam in iis agendis dexteritatem demonstrasti. Proinde ut plurimùm Tua æstimaverat merita, Magnus Ille Cracov: Pontifex* ZAŁUSCIUS, *constituendo Te suæ Celsissimæ Curiæ* Auditorem, *erecti in Universitate Crac: Academico-Diœcesani Seminarii* Provisorem, *tandem ultimæ voluntatis* Executorem, *ita & ad præsens æstimare non desinit Celsissimus* PRINCEPS, *Regniq;* PRIMAS, Vladislaus Alexander ŁUBIENSKI, Archi-Episcopus *Gnesn: Laurearum Academicarum* Protector *Singularissimus, dum Tibi, in sua Celsissima Curia tractandarum rerum contulit Magistratum. Accedit æstimationi Tuæ in Diœcesi Posn.* Archi-Diaconatus *Pszczev: in Eccl. Metropolitana Gnesn: Cathedrali Cracov:* Canonicale Stallum, *atq; Abbatialis Hebdov: Dignitas; Cui & ego unô omnium votô Philosophici Honoris deferendo excellentiam, Protectionis ergò penes integerrimam incolumitatem debitos magnis meritis Honores precari non desinam.*

Magni NOMINIS Honorisq; Tui

devinctissimus Cultor

AUTHOR OPERIS.

Magno
HonorIo CæLeſtI
DIVo PatrI CantIo

ODe DeDICatorIa operIs,
InCLVſa epIgraphe

Tu Carminis eſto
Principium *Horat: ſerm: lib. 2. Sat: 6.*

Magne DoCtores CeLebrate pernoX
Inter excelſos pietate CANTI!
Efficax Author teneri laboris
Sis & Origo.
Sæpe Tu vivo ſimilis reclinem
Applicas aurem populi querelis,
Sive Te multa prece, ſive multo
Thure vocantis.
Qualis, æſtivo, gregis ille ductor,
Sole vicinos jaculante ſaltus,
Arcet infeſtum pavido luporum
Agmen ovili;
Interim campi per amæna lætum
Errat armentum, prope quâ jacentes
Mordet effuſo taciturnus amne
Viſtula ripas:
Talis æterna ſtatione fidus
Excubas DOCTOR Craciis in oris,
Ne vel irritent, vel acerba frangant
Fata Polonos.
Noſtra ter centum numerabit annos
Proximè, qualem veneramur ætas,

335 Ut Tuus ſancta potitur ſalute
Spiritus ille;
Quem decoravit variæ corona
Pulchra virtutis, pietasq; ſancta
Fecit excelſum, poſuit ſuperq;
Sede Polari.
Unde ſentimus data gratiarum
Dona, qui terræ fruimur favore,
Deprecatores Tibi cùm profuſa
Corda litamus.
Noſtra quod quintum ſibi condit ævum
Mater ac Altrix ſtudii perennis,
Id Tua factum Patriarcha ſponte
Auxilioq;.
Hanc licèt diri quatiant èúri
Impetant crebræ gravium procellæ
Hoſtium, firmam tamen arte nunquam
Frangere poſſunt;
Si qua tutelæ venit impetratæ
Vis potens à Te venerande Victor,
Laureîs pridem decorate ſacrîs,
Alme triumphîs.
Hinc capeſſentes Sophicos honores,
Non honorati ſpecimen laboris
Compararemus, niſi Te JOANNEM
Rite precati.
Invocaremus præeunte corde:
Ut favens pendas iterata vota,
EX LoCo ſanCto, reDeantq; Magna
Munera per Te.

Magni-

Magnifico Perillustri & Reverendissimo Domino

D. M. STANISLAO MAMCZYNSKI,

U. J. DOCTORI & PROFESSORI, Ejusdem Facultatis DECANO, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Crac: DECANO, Parochialis in Smarzowice CURATO, Collegii Juridici SENIORI PATRI, Contubernii Jurisperitorum PROVISORI, Librorum per Diœcesim Crac. CENSORI, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORI, Illustrissimi Consistorii Crac: SURROGATO JUDICI, Studii Generalis Universitatis Crac: PROCANCELLARIO ac Vigilantissimo

R E C T O R I.

Carmen Votivum.

Cum Epigraphe

Vera laus veræ Virtuti debetur.

Cicero de Orat.

Hactenus auxilium Divi cultumq; JOANNIS
Nunc Te Magne canã PROCANCELLARIE, RECTOR
Et PATER & DOCTOR, necnon ingentia tecum
Facta, probas dotes, summum virtutis honorem.
Huc ô Cylleni (tûis sunt hic omnia plena
Muneribûs: tibi congenita per Pallada messe
Floret ager: tibi fert ac doctos area fructus)
Huc ô Cylleni venias, nudataq, justô
Eloquiô; ora reple sermone styloq; suavi,
Ut præcelsa Viri tanti benegesta perorem.
Hic celebrandus ades, Craciis qui gemma Coronis
Affulges splendore novo virtutis abundæ

Hic celebrandus ades, Majeſtas cujus honora
Præſidium noſtris, decus addit dulce Camænis:
Hic celebrandus ades, Proceres utriusq; Senatus
Addicunt cui ſe ſtimulô prudentis adacti
Judicii in rebus præſentibus atq; futuris.
Si tandem veteres actus primamq; juventam
Proſequar? abſolvunt calamū, quæ ſpecto moderna.
Ingenuos mores ſi pingere vellet Apelles,
A Te prototypon ſpecimen peteretq; fidele.
Conſpicuus vitâ ſpirans mera lilia cordis,
Solers ingeniô, rerum ſolertior uſu,
Continuò cupiens Phœbo Muſisq; vacare,
In Cracia Magni Jagelonis ſede ſtetiſti.
Hic ubi firmâſti docto veſtigia greſſu,
Illico nec ſomnos protendit lectus inertes,
Sed nova per duros formâſti membra labores.
Quæ Latius ſermo petit apta vocabula verbis,
Laudando ſtimulô mentis ſic latiûs artem
Omnem dicendi peragrâras, ut nihil amplis
Ingenii donis conſtaret pene deeſſe.
Ulteriora petens ſecreta ligata ſciendi
Rimabare ſagax, quidquid translatio rerum
Selecti retinere queat, ſensûsq; politi.
Nectere quæ ſvevit ſolido ſermone catenam,
Et lingvæ de fonte fluens, vulgi illigat aures,
Ornatrix morum rudiumq; exoſa Virorum
Surgere quæ tectis Urbes atq; Oppida juſſit
Mœnibûs obvallata ſuîs, rituq; ferarum
Degentes populos concordi pace ligavit,
(Fœcundis fluidam dictis intelligo ſvadam)
Sedulitate pari coluiſti quomodo? præſens
Oſtendit facti ſeries videre priores.

Eurippus doctîs Sophicus labendo fluentîs
Quidquid congessit pretii melioris in augem,
Legisti, donec Sophica perfectus in arte
Exiteris; noscendo modos, res, dogma, figuras.
Gaudebat tanta felicior indole Pallas,
Quòd tàm conspicuæ necnon ad maxima natæ
Ardor inextinctus, tum virtus æmula laudis
In studiis solidis fuerit fax mentis honestæ.
Æstus Phœbæi patiens duriq; laboris,
Socraticas noctes, & quidquid docta Cleanthis
Asservat lampas dum sacras Palladi doctæ,
Respondit sudore profusæ laurea fronti
Utraq; Doctoris magno vocalis honore.
Supremis Patribus notus de dotibus almis
Ornaris tandem juvenum præstante corona
Nobilium, quos tunc Ordo Procerumq; Ducumq;
In Craciam misit voto felice Palæstram.
Constanti cura spatium quinquenne PROFESSOR
Ut consummâsti, quos fructus illa juventus
Suscepit? Divûm sacraria sola fatentur,
Sarmaticæ Themidis solium, magnumq; Tribunal,
Ac consulta Equitum Legatûm munia narrant.
Obvenit Domus interea, celeberrima Doctûm
Sedes, Collegas in qua spectare minores:
Judiciô magnos, commendatosq; Catones,
Tullio aut similes fluido, argutoq; Maroni,
Jurisconsultosq; Viros Sophiæq; peritos
Semper erat; quid ibi fecisti pluribûs annîs?
Ingenium quantîs curîs subjeceris altum?
Nota Decanalis series narrabit honoris.
Est operæ pretium duplicis pernoscere Juris (a)
B *Natu-*

(a) Horat: serm: Lib. 2. Sat: 4.

Naturam: Themidis Divæ translatus in Aulam
Majorum votô fueras: fugitne quid altam
Mentem digne Tuam RECTOR de jure ſciendi?
Hujus ad Aſtrææ Faſces, & jura Quirini
Cæſaris, exſudans Daphnæa fronde revinctus
Auguſtum ſolersq; Caput, ſic Acta Priorum,
Sic conſulta Patrum, ſic Leges, juraq; ſervas,
Ut ſemper vigeat metus obſervator honeſti,
Pax regnetq; quies fauſto moderamine PATRIS.
Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Muſas conſiliô tuteris, moribûs ornes,
Legibûs emendes: penitus peccare viderer,
Si vili ſermone notem Tua facta ſtylôq;.
Singula complecti cuperem, ſed denſior inſtat
Geſtorum ſeries, laudumq; ſequentibûs undîs
Obruor: hinc mitto recini præconia mille.
Qui de fronte pudor, ſpiret de pectore candor,
Quæ morum gravitas permiſtaq; gratia verbis,
Quæ oris Majeſtas ſummo protecta decore,
Qui conjunctus honor, placidi dulcedine vultûs,
Quæ Superûm pietas in Te deſcripta legatur;
Mitto Panegyricîs faſtîs ſæclîsq; notanda.
Sed pleno meritîs, pleno virtutibûs æquè,
Magnifico Tibi RECTORI proſperrima quæquê
A Cælis ipſis nunquam ceſſabo precari.
Quas nobis confers laurus defendis easdem,
Immunis ſub eis vivas à fulmine fati.
Octo jam luſtrîs Altrix Academia fovit
Te PATREM Patriæ cuperet ſinè fine fovere,
Dona beata Poli PROCANCELLARIE ut octo
Experiare, novos habiturus deſuper annos.

Illuſtri-

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS. 340.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. JACOBO NIEGOWIECKI,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio ac Matheseos Ordinario PROFESSORI, GEOMETRÆ Strzałkoviano Jurato, Collegæ Majori, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. JOANNI RYGALSKI,

Sacræ Theologiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum: S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICO, S. ANNÆ ARCHIDIACONO, Sacra Authoritate Apostolica Publico NOTARIO,

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. ADALBERTO FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio ac Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICO Zielopolsciano.

Ode Votiva.

Ipsa Virtus propriè meretur Honorem.

Marcel: Paling. Lib: 6.

VIrtus ætherei conscia sangvinis
Astrorumq; soror, non amat obvios
Inter serpere fungos,
Et declivia vallium.

Semper ſumma petit: quo neq; nubium
Nautam, Romulei flammigerum Jovis,
Pleno concita vento
Transfert penna ſatellitem.
Jam cum ſidereis otia fratribus;
Jam cum fulminibus prælia dividit:
Luſtraliq; Tonantis
Geſtit ſulphure ſpargier.
Auri nulla fames nulla ſitis lucri:
Dedignatur humum figere ſpiculîs,
Laudis tota cupido
Metam fertur in arduam.
Promittente necem vulnere gloriæ,
Migrat cum Domino fida comes ſuo:
Hærediq; ſuperbit
Linqui, ceu ſpoliũ pigro.
Quæſtus inter opes neſcia ſordidi
Omnino propriîs fulget honoribûs,
Quales fama requirit
In laudabilibus Viris;
In Vobisq; videt Ternio clarior
Quàm magnîs meritîs quave ſcientia,
Conſtantiq; labore
Orbi conſpicuos ſatîs.
Nam ſi Te decorum Purpurea Togâ,
Qua tot claruerant emeriti Viri,
Collaudare DECANUM
Verbîs, arte, ſtylô velim;
Occurrit calamo materies frequens
Ex luſtrante Polos experientia,
Divinaq; Matheſi
Perfecta Geometria.
Cæli

Cæli Tu docilis jura volubilis,
Ac optabilium fœdera temporum
Doctrinâ regis aptâ
Necnon consiliô gravi.
Non restringibilem digeris ordinem
Vindex fallibilis temporis acrior,
Seû mensesq; diesq;
Componis, numeras dies.
Primos anteiens alterius Regens
RYGALSKI numeri Philosophûm, Decus
Magnum Theologisq;
Ascensu propior Pater.
Qua Te sufficiam dicere barbito!
Laudum cùm superes singula munera,
Hæc collecta tenendo
Quæ divisa alios beant.
O quanti Sapiens ingenii rigor!
Naturæ penetras viscera dum sagax,
Et quodcunq; lateret
Comprendis vigil & celer.
Quidquid Socraticis in tenebris habet,
Vel de Pythagora fert sapientia,
Diviniq; Platonis [na;
Præstant quidquid acumi
Quod dignum recolit litera Aristotele
Illud mente Tua concipis intimè
Verax, mitis, amænus,
Dictîs, pectore, gestibûs.
Cum verbis Cicero suavibus huc ades,
Oratoris honor cùm celebrabitur
Pulcher Tyliciani
Oris nectare mellei.

343

Testantur Cathedræ Posnaniæ hactenus
Sexennale Tuum conveniens opus
Sacris atq; profanis
Exedris memorabile.
Testatur Lithavi gens celebris Poli
Białensis venerans Te regimen Scholæ
Rectorem moderantem
Quantum præstiteris decus
Illorum Juvenum mentibus optimis.
Quòd sit gloria par per Cathedras Sophûm
Dicendiq; facultas (tens.
Scimus quod Tibi sit po
Quorum Tu penitus maxima Nomina
Laudari satagis dulcisona chely!
Magni semper habentur,
Tu quos arte vetas mori.
Plures non numero laudis adoreas
Quas sortitur honor Vester, & ardui
In commune labores
Tollant pro meritis suis.
Cælestes voveo laureolas dein,
Cùm pulchri seniô, macti & honoribûs
Vitæ prospera fata
Consummaveritis Viri.

HONOR

HONOR PHILOSOPHICUS
in
XVIII. VV. DD. Secundæ Laureæ Candidatis
EXCELLENS.
Iisdemq; per Insignia Stemmatica
DECLARATUS.

I. V.D. SIMONI BANACZKOWSKI



Stemma **Gentilitium**
Boża Wola scilicet Solea
cum **Crucibus**
supra Lunam **Cum** *Lem:*
Sic ego currebam.
Ovid: lib: 5. *Metamorph.*

PArtibus hanc Soleam æquè Crux benedicit ab utris
In solis meritis Nobile tendit iter.
Huic SIMON omnis nixus durissima quæq;
Trivit donec ei gloria meta foret.
Gloria meta manet: non solùm prodita terris,
Vecta supra Lunam gloria meta manet.

345.

II. V. D. BARTHOLOMÆO BERGIER

Stemma & Sagittâ cum *Lem:* sagittas. *Claud: de nup:*



Solea Cruce interposita Armavit fama *Honor.*

CRUX soleata præit pernix instatq; Sagitta,
Te solidè celerem BARTHOLOMÆE probans.
Es solidus, quoties certas ratione Sophorum,
Ingenii motu nosceris esse celer.
Cùmq; viam Soleâ sternis tibi prosper honoram,
Signabit portum juncta Sagitta Cruci.

III. V. D. STEPHANO PINOCI

Stemma *Nalecz* scilicet cum *Lem:* omnia nexu.



Gentilitium Fascia ligata Complectitur *Lucan: lib: 4.*

SI dotes actus meritos, STEPHANIq; decores
Scire cupis vittam præpete solve manu.
Hâc sunt sudoris pretiosa monilia clausa,
Illi se jungi Laurea docta cupit.
Fasciæ an est decori Laurus, num fascia Lauro?
Harum possessor solvere quæso velis.

IV.

IV. V.D. MELCHIORI SZAIOWSKI



Stemma *Sulima* scilicet media Aquila sub qua in scuto tres lapides pretiosi cum *Lem:* Procede secundîs alitibûs. *Claud: de Honor.*

PAr animus Superis Aquilam lapidesq; probatos
Vult tibi pro grato munere porro dare.
Nam pennîs Aquilæ scribi trinôq; lapillô
Debent facta tui, quæ celebranda facis.
Affinis maneas quod verò Palladi doctæ,
Est scutum testis: sic tibi tutus eris.

V. V.D. NEPOMUCENO TRABSKI



Stemma Leo supra muros rotam tenens. cum *Lem:* Tibi nectat uterq; coronam. *Horat: lib: 2. Ep: 2.*

FOrtes quis quæso binos neget esse Leones?
Hi certare pares, ferre trophæa pares.
Excellens animus TRABSCII contraria vincit
Mens generosa nihil dexteritate timet.
Atria fortunæ custodit stans Leo murîs,
Jam tibi cum lauru certius omen erit.

VI. V.D. STANISLAO JAGIELSKI

347

Stemma — Anchora cũ
semigemina — Cruce
cum *Lem:* — Anchora
jacta juvat. — *Alciat: in Embl.*



NAvigiô docto fausta cum sorte peractô:
Cum Cruce cum Stellis Anchora sola stetit.
Fama, licet volucris, meritorum clara tuorum
Vi Crucis & forti sidere fixa manet.
Anchora te teneat, rationis navis, ad ipsum
Littus, felicem semper honoris agat.

VII. V.D. PETRO JASTRZĘBSKI

Stemma — Gentilitium
Slepowron — scilicet Solea
super quam — Crux, in Cru-
ce Corvus — annulũ rostrô
gerens. cum — *Lem:* Cælô de-
missa volucris. — *Petrarcha lib: 3.*
Afri:



CRas est vox Corvi: Corvus tuus odit eandem,
Dat præsens aurum, quod celer ore gerit.
Sic tu quidquid agas aurô cedrôq; notandum,
Omne tuum vivax quod facis, audit opus.
Approbat hoc etiam Cælô demissa volucris
Annulô, idemq; Crucis perpetuante notâ.

VIII.

VIII. V.D. VALENTINO PODZYNSKI



Stemma Gentilitium *Jasienczyk* ſcilicet Clavis aurea versùs Cælũ directa cum *Lem:* Cuſtodit & arcet. *Ovid. lib: 11. Metamor.*

QUis ſit theſaurus ſub Clavi clauſus Avita?
Eſt aurô ſapiens ditius ingenium.
Non oſtentantur ſed amant pretioſa latere,
Nube modeſtiæ, opes mentis, & alta tegis.
Iſtaq; PODZYNSKI cuſtodis, dives ut aurum;
Arces, quæ levitas faſtus inersq; ſapit.


IX. V.D. HYACINTHO TRABSKI



Stemma Leo ſupra muros rotam tenens, cum *Lem:* Norûnt cui ſerviant Leones. *Mart: lib: 2.*

VIlia vilis amat, decorant ſed fortia fortem,
Te decet in muris ſtans HYACINTHE Leo.
Viribûs innatîs robuſto & pectore fortem
Ingeniô ſolidum denotat eſſe Virum.
Altius erigitur, rota volvitur unguibûs ejus,
Tu fortunatos ſcandito honore gradus.

X. V.D. PETRO RYDULSKI



Stemma Cor lauru cinctū in cujus medioSolea cum Crucibus. cum *Lem:*
Corda dedit natura Viro.
Petrar. lib: 2. Epist.
Quem Crux ad alta provehit.
S. Damas: Pap.

CRux foleata tibi gravioris teſſera curæ,
Cor alacris ſtudii pondera ferre, nota.
His igitur laurus operoſæ præmia frontis,
Ad decus æternum promeruiſſe juvat.
Sic poteris, imo debebis adire bravium
In Cruce honorificum, quem bene geſta vehunt.

XI. V.D. STANISLAO KALICINSKI
Coloniæ Academicæ Vidavienſis DIRECTORI.



Stemma Luna Stellîs & Cruce ſignata cum *Lem:*
Cæleſtia tentat.
Horat. lib: 1. Epiſt: 17.

COndecorant Stellæ fulgentis cornua Lunæ,
Luna Cruci ſubſtat, fit decor inde nitor.
STANISLAE tui genius Cæleſtia tentat,
Indicat en volucris Crux documenta refert.
Sidera tum Phœbe monſtrat faſtigia fronti,
Hæc ſunt ingenii ſigna decora tui.

XII. V.D. FRANCISCO MATAWOWSKI



Stemma Gryphus aliger posterioribûs pedibûs Scuto & Libro clauso insistens, prioribûs librum apertũ tenens. cum *Lem:* Nomen toto sparget in orbe suum. *Mart: Lib: 8.*

INnixus Scuto Gryphus, librîsq; decorus,
    Consociata tuæ symbola mentis habet.
Evolat hoc animal sursum pernicibûs alîs,
    Tûi pariter virtus serpere nescit humi.
Clausisti librum tua quem bene gesta replerunt
    Quo majora notes alter apertus adest.

XIII. V.D. IGNATIO PAWLUSKIEWICZ



Stemma Aquila biretô librô & annulô ornata. cum *Lem:* Donîs ornatur honestîs. *Horat. lib: 2. Epist: 2.*

INdolis eximiæ specimen pretiosus liber ornat,
    Annulus è planta signa secunda refert.
Stans Leo cum viridi lauru tibi certa trophæa
    Promittit, multo robore fata domans.
Tuî prudens animus donîs ornatur honestîs
    Sint PAWLUSKIEWICZ laurea serta decor.

XIV. V. D. JOSEPHO KŁOSINSKI



Stemma Gentilitium
Lubicz ſcilicet Solea cum
Crucibus, cum *Lem:*
Iter ad Superos gloria pandit.
Seneca *in Herc.*

CRUX Soleam eſt intro, Soleæ Crux altera præſtat,
Ex omni verè parte beatus ades.
Crux pietatis honos, humilem, mitemq; modeſtam,
Declarat mentem digne JOSEPHE tuam.
Ex Solea conſtantia fit ſoleata laborum,
Sic certus finis proſperitatis erit.

XV. V.D. ANTONIO SOBEK SOBCZYNSKI



Stemma Gentilitium
Brochwicz ſcilicet Cervus currens, Coronam ſuper collum. Cum *Lem:*
Curſus facit ipſe decorem.
Ovid: *Metamorph.*

CErvus ut in campos pede præpete tendit apertos,
Sic tua per clarum gloria vadit iter.
Confeſtimq; tibi fert pro mercede coronam,
Quam virtus celebris, quam benegeſta merent.
In curſu medio ſi talia præmia ſignat:
Cùm metam tanget, qualia paulò feret?

XVI. V. D. THOMÆ KARASIEWICZ



Stemma duo gladii cum rosis quatuor. cum *Lem:*

Petitur sæva per arma decus.

Stroz: Pat. Erot: lib: 6.

PAlladis in docta certâsti dexter arena,
Quæ tibi honorificas germinat ecce rosas.
Suavis es eloquiô, certas & acumine mentis,
Est animus semper par in utrumq; tuus.
Ferreus ergo stylus nomen tibi nonne perenne
Signabit? roseus te revirere volet.

XVII. V. D. THOMÆ FELKIER



Stemma Avitum *Ferber* scilicet tria capita aprorum. cum *Lem:*

Nobile nec victũ fatis caput.

Lucan: lib: 7.

ALcides rigidas Eurymanthi frangere sylvas
Ausus, de monstro victor habetur apro.
Desidiæ monstrum quantum tu viceris, istud
Signum dat capitum præda relicta trium.
Pro meritoq; suo si virtus Herculis astrîs
Est donata; tuam munera quanta decent?

XVIII. V.D. THADÆO OKONSKI

353

Stemma Gentilitium *Sulima*, scilicet media Aquila, sub qua in scuto tres lapides pretiosi cum *Lem:* Nomen in astra ferat.
Stroz: Pat. Erot: Li: 6.



DIstendunt Aquilæ; recto sub sidera cursu
Pennas, inde notant dexteritatis opus.
Una præit gemmis, gressum demonstrat honori,
Altera designat prosperitatis iter.
Dicimus has volucres pridem Jovis esse ministras,
A probitate tuum Nomen in astra ferant.

V.D. suprafato AUTHORI OPERIS STANISLAUS VINCENTIUS KALICINSKI,

In vim mutui affectus & gratitudinis ergò applaudit.
Cum votivo Lem: *Hac Duce carpe vias.* Ovid: lib: 3. Metam.

PEgasus in plausus soleatus currat amænos,
Carmina tu verò formes heroica Vates.
Hæc Tua dexteritas in rebus poscit agendis,
Spiritus Herculeus, mens vivax, facta decora.
Trivisti Soleâ Parnassi saxa laborans,
Crux benedicit iter, conscendas culmen honoris.
Sidere decurrens felici flumina docta,
Appellas lætus littus portumq; beatum.
Montem significas SIMON virtutibûs altum,
Atra precor nunquam feriant Te fulmina fati.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.